



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Adversvs Omnia Catabaptistarvm Prava Dogmata  
Heinrychi Bullingeri lib. IIII**

**Bullinger, Heinrich**

**Tigvri, 1535**

**VD16 B 9759**

De rerum com[m]unicatione & proprietate, de cura domestica aut  
oeconomia, de misericordia & beneficentia

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35433**

## DE RERVM COMMUNICATIONE

& proprietate, de cura domestica aut oīkono=  
mia, de misericordia & beneficentia.

## IOIADA.

**N**on puto uel scripturis uel exemplis cogi posse, ut propria quae habet, communia faciat, quo minus possideat domus, agros, prædia, aliaq; huius generis Christianus homo. **SIMON.**

An non officium Christiani hominis est, conari ad perfectionem? Dicit enim deus: Estote sancti quemadmodum & ego sanctus sum: Estote perfecti quemadmodum pater uester cœlestis perfectus est. Iam Christus perfectionem istam esse dicit, ut omnia distraheremus & demus pauperibus. Communia ergo omnia habeamus necesse est. **IOIADA.** Quod studium hominis Christiani ad perfectionem tendere debeat, facile concesserim, modo recte intelligatur. Duplex enim perfectio est, altera diuina: humana altera. Diuina omni ex parte absolutissima est, cui nihil deesse potest. Deus enim summum est bonum, ex quo quidquid bonum est fluit. Neq; sub lege est deus, sed supra omnem legem, cuius æterna uoluntas lex est. Humana uero perfectio manca est, neq; unquam sine uitio, quandoquidem caro est homo et sub lege semper.

**SIMON.** Si infirma est et cui desit semper, quo

III.  
TRACT.

modo ergo perfectio dicitur? uidentur hæc repugnatio esse. IOIADA. Perfectio hæc humana, perinde est atq; nostra, hoc est, Christianorum iustitia. De iusto enim scriptum est, quod septies in die cadat. Si cadit, iustus esse quomodo potest? Quod si iustus est, quomodo cadit? sed huic fides sua, studium & cura quibus præditus est semper, & anxie uigilat, pro iustitia ei reputatur. Interim non abest morbus, non abest affectus & uitium, sed ex gratia non imputatur. Iam ergo fidelis iustus est, ex nihilominus peccator. Sic & Ioānes loquitur: Qui ex deo est non peccat, interim qui dicit se peccatum non habere, mendax est, & in eo non est ueritas. Similis ratio est de humana perfectione. Perfectus potest esse Christianus, quatenus fidem habet & studium ardens innocentie, idq; ex gratia, sine uitio & peccato esse non potest.

SIMON. Quid opus glossemate, scriptum est: Estote perfecti quemadmodum pater uester cœlestis perfectus est. IOIADA. Impossibile hoc nobis, nisi similes deo esse uelimus. Sed uelim Christi uerba recte intelligas. Monet Christus immo urget suos, ut ad perfectionem dei uel quam proxime annitantur. Nam pauci sunt qui exemplar propositum effingant et imitantur, ferè infra typum manet qui exprimere uel maxime conantur. Ad perfectionem ergo monemur, sed humanam. Tum enim perfecti iudicamur, si innocentissime